



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117867

§. 45. Michael Catholicos persequitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66103)

§. XLV.

Sæculum IX.
A. C. 821.*Michael Catholicos persequitur.*

Quamquam vero Imperator initio animum simulasset non uni magis par-
 ti quam alteri faventem, brevi tamen po-
 stea odium prodidit in Catholicos præ-
 fertim in Monachos, quos spernebat, &
 exquisitis torquebat suppliciis. Metho-
 dium Roma reducem, ut diximus, &
 Fidem Catholicam Constantinopoli li-
 bere docentem Imperator accusat, quod
 turbas crearet & scandalum, jubetque
 septingentis verberibus castigari. Ni-
 hil propius fuit, quam ut sub percutien-
 tium manibus expiraret. Ita languidum
 primo in carcerem mittit, & deinde in
 Insulam S. Andreae prope Acridam relegat;
 ubi solus cum homine agresti, seditionis
 reo in sepulchro angusto & tenebroso
 includitur. Iconoclastis autem sæpe
 suggerentibus, eum confestim ex hor-
 rendo carcere dimittendum, si Jesu Chri-
 sti imaginem proculcare vellet, virili
 constantia semper respondit, malle se
 mortem subire, quam ejusmodi cogita-
 tioni locum dare. Itaque toto quo Mi-
 chael imperavit tempore ibi captivus
 permansit.

*Post. Theop.**p. 31. vit.**Meth. c. 1. ap.**Boll. 14.**Jun. to. 21.**p. 963.*

Euthymius quoque Episcopus Sar-
 densis jubente Michaelē Constantinopoli
 pulsus, quod Cultum Imaginum da-
 mnare

Sæculum IX.
A. C. 821.

Sup. n. 33.
vit. 26. Dec.
c. 9.

II. ep. 121.

mnare nollet. Porro eodem Michaelē mandante filius ipsius Theophilus eundem Sanctum Episcopum tamdiu bubulis cædi iussit, donec animam efflasset. Theodorum & Theophanem Jerosolymitanum, postquam cum ceteris exulibus a Michaelē revocatis Constantinopolim rediissent, multos Iconoclastas atque etiam viros in Dignitate constitutos suis sermonibus & scriptis ad veram fidem convertentes æquo animo non tulit Johannes Leconomanta, qui in carcerem detrudi iussos adiit, & cum iis de Doctrina Catholica disputare cœpit; at cum facile victus recessisset, apud Imperatorem effecit, ut Constantinopoli pellerentur. Inter hæc Theodorus Studita responso accepto a Thoma Jerosolymitano Patriarcha rescripsit, & gratias egit. Præterea queritur in illa Epistola, aliquos non rescripsisse, & hoc solatio Catholicos privasse. His verbis Patriarchas Alexandrinum & Antiochenum perstringere videtur. Ex iis vero, quæ subjungit Theodorus, videmus, ipsum hanc Epistolam scripsisse, priusquam Imperator bellum imaginibus aperte dixisset. Nam, *byems transiit*, inquit, *sed ver necdum advenit*. Vult dicere, Ecclesiam necdum pace frui, quamvis cessaverit persecutio. *Inde factum*, inquit, *quod post acceptas Epistolas vestras*

stras eleemosynæ admodum modicæ collectæ sint. Non enim nobis fuit colligendi facultas in diversis locis commorantibus, & procul ab urbe Constantinopolitana positis. Sed nec modo omnia, ut voluissimus, collecta, nisi ea, quæ ex adjuncto indice cognoscetis. Illi autem, qui de suis largiti sunt aliqua, ipsi beneficium accepisse putant, dum ipsis honor obtigit cum Sanctis locis communicandi.

Sæculum IX.
A. C. 821.

Leone Armeno e vivis sublato plures præterea Theodorus scripsit Epistolas, in quibus Regulas tradit, qua ratione in illa persecutione lapsi recipiendi sint. Dicit, Episcopi, qui post lapsum non abdicat Episcopatum, non esse sinceram pœnitentiam. Item illum vere communicare cum Hæreticis, qui stipendium ab ipsis acciperet. Illud vero arbitratur, Episcopum post pœnitentiam peractam restitutum posse ad mensam Benedictionem pronunciare.

II. ep. 119.

II. ep. 139.

§. XLVI.

Ludovici Imperatoris pœnitentia.

In Occidente Ludovicus Imperator jam anno octingentesimo vigesimo primo in Comitibus Theodonis Villæ conjurationis Bernardi Regis Italiæ conscios ab exilio revocaverat. Omnibus in conspectum admissis veniam se dare dixit, &

Sup. n. 35.

Eginh. n. 821

Bona